

Z d
580.

EPITHALAMIA *X 20539/13*
Solennibus nuptiarum festiuitatibus
Amplis. & Consultis. viri,
Dn. IOHANNIS ANDREÆ
NICOLAI,
SENATVS ET REIPVBL. AL-
tenburgensis Syndici SPONSI,
ET
Lectissimæ virginis
SUSANNÆ,
Dn. JACOBI MEISII ILLUSTRISS.
Duc. Saxon. Altenburg. annuorum reddituum ra-
tionum præfecti, ibidemq; Senato-
ris filiaë SPONSÆ,
*Altenburgi celebratis 14. Cal. Mart. boni ominis,
moris & honoris ergò, ab affinibus & amicis con-
scripta & consecrata,*

ANNO M DC XIII.



IMPRESSA ALTENBURGI IN MISNIA,

Anno M DC XIII.

FRITHANIA
Solennibus nuptiis
Amplis & Copiosis
DR. JOHANNIS ANDREAE
NICOLAI
SENIORIS
LEIPZIGENSIS

LEGISLATIONIS
JUS AINE
DR. JOHANNES MESSIUS
Duc. Saxon. Alsb. & Siles. Legationis
Prætor. Siles. Siles. Siles.
Siles. Siles. Siles. Siles. Siles.
Siles. Siles. Siles. Siles. Siles.



IMPRESSA ALTBURGICA IN MESSIA
BIBLIOTHECA
MUNICIPALIS





I.




OMINA SPONSE geris, tibi depin-
gentia pulcrè,
Qua ratione thori sunt peragenda
novi.

Primo signatur FAVOR: excellensq; secundo
MENS: tandem VICTOR nomine contiguo,
Nunc opus est praxi, si vis bonus esse maritus,
Et tedis optas fata secunda tuis.
Vi praestes igitur posthac monstresq; JOHANNEM
Sit favor in SPONSAM purus & ingenuus:
Hac tibi sua violum, tu illi sis suavis ocellus
Dum cordi & membris Spiritus vllus inest.
Magnanimum ANDREAM representabis & ipse
Si fors atq; dies tristior inciderit:
Coniugium crucis est nam quadam Academia: cu-
Membris sepè mali temporis aura fluit, (ius
Vince simul thalamo sat agentes spargere lites,
Nec mala lingua aures lancinet vlla tuas,
Vmbra ut corpus enim sequitur, sic Daemonis astu
Surgunt turbantes connubiale decus:

A 2

Hos



Hos prosterne tuis precibus, quocunq; modoq;
Prudenti: fortis sic NICOLAVS eris.

Abraham Suarinus SS. Th. D.
DISTRICTVS Altenb. Superintend.

II.

HOsego versiculos feci, tulit alter amorem,
Cui sua jucundè nidificabit avis.
Advolat en vivis pennata coloribus altè
Pulera parix, pullis incubitura tuis.
Excipias nido plumisq; fidelibus ipsam,
Parte thoriq; loces interiore tui.
Ipsa tuæ volucres excludet imaginis olim,
Et pariet pulcras, quæ modulentur aves.
Tu modò, quæ tua sunt, facias; tu sedulus adis
Officio, vivas & bene Sponse, tuo.
Hos precor, & vestro quæ profunt cœtera nido;
Cuncta bonis avibus scilicet eveniunt.

*Affini suo dilecto honoris & favoris
ergò deproperabat*

*Julius Armb V. J. D. & curia
Provincialis Advocatus.*

III.

NAE tu venator prudens mihi Sponse videris.
Vnam tot pulchras qui petis inter aves.

Quæ

*Quae latuit dudum caecis occulta latebris,
 Surda & dulce canentium audiit aure melos.
 Fallere quam poterat posito auceps amite nemo,
 Incidit in casses praeda petita tuos.
 Aucupium felix! casses non amplius usquam
 Obstantes fugit aut aucupis illa dolos.
 Nec cupit hic diram irretita intendere mortem,
 Nec iugulum cultro, aut pollice cella petit.
 Alterius verum alter amat curatq; salutem,
 Exspectat nutumq; hac studiosa tuum.
 O felix auceps formosâ hac atq; canonâ
 Paro, & te felix aucupe pare bono.*

Wilhelmus Merck I. V. D.

IV.

Vita quid est cœlebs? res est durissima, res est
 Tristia cum turpi danina pudore ferens,
 Exulat hinc pietas, hinc exulat ardor honesti,
 Debita nec dantur vota precesq; Deo,
 Contrâ casta piæ semper coniunctio vitæ,
 Constat ter trino perplacuisse DEO,
 Nam vita hæc cœlebs si complacuisse, ADAMO
 Omnipotens nunquam consociasset EVAM,
 Est igitur verè ferus, iminò ferreus, ipsas
 Exuperatq; seras asperitate seras,
 Quem iuvat in vacuo solum jacuisse cubili,
 Inq; suo vxorem non habuisse thoro,

A;

AD



AD SPONSVM.

Alcius hæc repetens, divinum Numen adoras,
Vtq; tori sociam, det tibi, SPONSE, petis.
Alba precans igitur grator pulchramq; bonamq;,
Sumere in vxorem quòd tibi, Sponse, licet.
Bis mihi tu felix, bis terq; videre beatus,
Lætus ob id cur, sis semper habere potes.
Et siquidem carus superis, es dives, honestus,
Cultus es ingenuo, moribus. arte, fide.
Hæc super egregia forma, capitisq; pudici
Intrat in amplexus virgo SVS ANNA tuos.

ἀνεστύχης,

AD SPONSAM.

Sicut iners odium, sevæ, tristissima, litis:
Verus, ita est dulcis, causa, quietis amor.
Sicut es ergò tuo dilecta SVS ANNA marito:
Aequa velis Sponsam sic redamare tuum.
Nam decet hoc, & in hoc fueris si tota, videbis,
Noxia nulla tuo posse nocere toro.
At si verus amor non pectora junget, oportet
Grassentur rabies, lis, Satan, ira, minæ.
Ergò Sponsa tibi peramico pectore Sponsum
Grator, & inceptis fata secunda precor.
Cum multis alijs mea jungere vota necesse est,
Vt quod amicitix debeo, gratus agam.

*à M. Erhardo Coboldo Past. Smöl-
lensi & Dioces. Altenburg. Adiuncto.*

Omnis amor Fato, & voto primordia ducit,
 Ex Fato & voto desinit omnis amor.
 Heret adhuc incerta fides? res consule sacras,
 Mox tibi consurget certior inde fides.
 Abramides caluit lecti socialis amore,
 Huic thalami consors casta Rhebecca venit:
 Non prius hic illam, non illa hunc viderat unquam;
 Sed tamen unanimum scandit uterq; thorum.
 Ardenti arsit amore Rahel sic, Isacides cum
 Ex patria Syrios exul adiret agros.
 Sic Raphaël duxit Medorum ad regna Tobiam,
 Ææx & tæda ac ipsius ille fuit.
 Duxerit ut Saram fuit Ææx & Raguelis,
 Quam poterat nullus præripuisse procus.
 Quis neget, hæc Fato & voto connubia facta
 Illud cum clarè Biblia sancta probent?
 Quis neget atq; tuis tædis sic Numen adesse
 SKNDICE, si SPONSAM Mysia pulchra dabit?
 Tyrigetis primum tu finibus ortus honesto
 Sanguine; nunc clares maior honore novo.
 Sed patriæ nymphas an ne aspèrnaris amicas?
 Non. minor haud roseo his gratia ab ore venit.
 Ornat e. is castus pudor, ornat amica loquela,
 His probitas, morum & gratia dulcis inest.
 Sed Fato & voto patriæ tibi sponsa negata,
 Servata & fidei Sponsa aliena tua.

Lustranti

Lustranti Europæ primas feliciter oras
SYNDICE numne tibi defuit alma Venus?
Vidisti ad gelidi spumantia flumina Rheni
Innuptas tot, quot gramina tellus alit.
Halsia sicq; suas Dryadis dedit, atq; Napeas
Obtulit innumeras SPONSE HONORANDE tibi.
Francia nummosas monstravit, Suevia pulchras,
Laudarunt comptas Italix q; domus.
Adde quod, & niveas tot Mysia nostra puellas
Pascit, alit pisces quot mare velivolium:
Halsia quot glandes nutrit, quot Rhenus & uvas,
Aut mittit quot trans equora frigus aves.
At cur non placuit multis e millibus una,
Quæ thalami casto fœcere juncta foret?
Cur Pleissenlis ager tibi tantum arrisit amanti?
Hec cur digna tuo visa SUSANNA thoro?
Non casu factum sed prospiciente Jehova,
Omnia qui certo dixerit arbitrio.
Et thalami stringit vinculis & carcere frenat,
Quæ disjuncta procul, quæ propè juncta locis:
Et qui, pro placito, lecto componit in uno,
Firmiter & nodus colligat Herculeis;
Materno quæ nota sibi sunt lacte, penates
Quæq; suos alio sepe sub axe sciunt.
Cæptas quod superest tædas fortunet Ithova,
Commoda mille ferens, gaudia mille parans.

Asmodeum

Asmodeum Stygio damnatum destinet Orco
Infestum tedis coniugibusq; pijs.
Sit concors thalamus, sit pax & amica voluntas,
Sit procul à vestro lū, dolor, ira thoro.
Nascantur dulces nati, dulcesq; nepotes
Delitiæ matri, blanditiæque patri:
Quiq; patrem referant & avum nobis honorandum
Vultu, doctrinâ, moribus, ingenio.
Hoc precor ex animo, qui presens esse maritis
CHRISTE soles votum pondus habere sinas.

M. Peter Zeller Diacon,
 Ecclesiæ Altenb. po.

V I.

A Vcupijgenus, ecce, novum! qui Palladis arma
 Haftenus intrepidâ gessit amica manu,
 Herculis exemplo Veneri se consecrat ipsum,
 Innocua & prudens insidiatur A V I!
 Nos visco, non tendiculâ, non retibus, vt nec
 Transennâ, haud calamo præda cupita venit.
 Queis autem medijs P A R U M, nove Sponse, tenellum
 Ceperis, huic auri, quæso, fatere meæ!
 Quippe reor, si esses haud allectricibus usus
 Doctè avibus, P A R V M huic vix potuisse capi.
 Haud ultrâ disquiro. Foro quicumq; scit uti,
 Absit ut allectrix huic malè desit avis.

B

Tu



Tu salve VOLUCRIS: tu felicissime salve
AVCEPS: fecundo nidificate thoro.

M. Otto Freund Eccl. Altenb.
Diac. f. pia gratulat. ergo.

✿ VII. ✿

N^Ulla Deo res grata magis quam iussa vereri
Illius, & legem non violare suam.
Huic, cum SPONSE subis thalami pia vincula sacri,
Fidus es, ac eius sancta statuta colis.
Eligi ex nullis talem tibi IANEPuellam,
Dicere cui possis: TV MIHI SOLA PLACES.
Hec tibi divino contingit munere virgo,
Quam cote, posce, fave, dilige, prende, fove.
Nam pia, casta, modesta, pudica, venusta, benigna,
A Domino coniux non aliunde venit,
Sed sicuti, ut notum est, magni formica laboris
Congerit innumeros sedula messe cibos:
Sic, ubicunq; potest dubiarum provida rerum.
Hec SVS ANNA tuas accumulabit opes.
Gaude sorte tua, clarissime IANE, sacerdos
Legum, iustitia presidium q; fori.
Gaude SPONSE tua cum coniuge, cumq; marito
SPONSA tuo, flagrent pectora amore pari.
Gaudia non tot habent vel opes, vel regna, vel aurum,
Gaudia quot nobis faemina casta parit;

Faemina

Fœmina quam decorant probitas, clementia, virtus,
 Atq; vel in primis religionis amor.
 Autor connubij connubia vestra secundet,
 Et facili vobis annuat aure, precor.
 Vivite felices ambo cornicis in annos.
 Exhilaret vestram garrula turba domum
 Vivite concordēs concordis turturis instar.
 Vna fides sit, mens una sit, unus amor,
 Hac tibi SPONSE precor, precor hac tibi SPONSA decora.
 Det Deus optatus det meliora bonis.
 Interea placido queso accipe carmina vultu,
 Qua propero calamo nostra Thalia dedit.
 Et licet eloquio careant, solitoq; nitore
 Attamen hæc nimius condere jussit amor.
 Sed ne Musa tuas offendat longius aures,
 Et subeant animum cœdia fortè tuum:
 Desino plura loqui, finemq; impono labori.
 Hæc volui brevibus verba ligare modis.
 Olim plura dabo: tunc justo tempore, quando
 Te soboles patrem feceris orta, Vale.

Martinus Hugo Pastor
 Obringensis.

 IIX 

Quid Divum maius concessum munere nobis
 Coniugio? Verè est res sacra coniugium.
 Coniugij Deus est autor: qui fœdera temnit
 Coniugij, æternum temnit & ipse DEVM.

B 2

Ite



Ite procul Monachi ventres, procul ite Monastæ,
Ite cuculligeri tota caterva chori,
Quæis facile est, castè sine coniuge vivere verbis,
Cùm te non præstes tu scelerata cohors.
Casta Deus mens est, fædæq; libidinis osor:
Sed probat in casto corpora bina thoro.
Illum tolle, genus mortale peribit: & inde
Quæ facies huius, quis decor orbis erit?
In chaos antiquùm, rudis indigestaq; moles:
Quod fuit, hæc mundi pulchra theatra ruent.
Ecquis enim spargat cœlestis dogmata vocis,
Ni generi humano dulcis amor fuerit?
Quis manibus volvet divina volumina juris,
Ni generi humano dulcis amor fuerit?
Quis manibus Medicis vires in pristina tollet?
Ni generi humano dulcis amor fuerit?
Non fora, non vrbes, non esset cultus agrorum,
Ni generi humano dulcis inesset amor?
Ista thori tacitâ qui commodamente volutat,
An non legitimi flagret amore thori?
Ergo optata tibi nunc **C O M P A T E R** atq; patrone:
De super exoritur, plena favore dies.
Qua tibi, quæ toties suspiria tanta movebat,
Hætenus in votis quæ fuit vna tuis:
Iungitur in sociam vitæ, lectiq; **S U S A N N A**.
Compositis genio moribus apta tuo.
O felix ô fausta dies, & amabilis hora
Gaudia coniugibus nam paris ampla novis;
Gaudia magna paris dum fausto Numine firmas,
Vnanimi nectens pectora bina fide.
Ista Deo grata est sociæ coniunctio vitæ,
Vt sint legitimi foedera certa thori.

A r

At tu Sponse cui luce hac nova Sponsa locatur,
 Dum licet oblata coniuge lætus age.
 Nam commendat eam spectata modestia vitæ,
 Et facies teneri signa pudoris alit.
 Fœmineos inter non vltima gloria coetus,
 Et decus eximium Sponse futura tibi est.
 Hac ego non miror si flagras COMPATER, atq;
 Croësò ea digna foret: sed magis apta tibi est.

A Domino certè donis prælustribus aucta est,
 Ante alias magnis claret & illa bonis.
 Virgine in ingenua quas dotes cunq; requiras,
 Omnibus his Nymphæ nobilitata tua est.
 Aspicias in niveo mistum candore ruborem?
 Emicuit Paphiæ talis ab ore Deæ.
 Aspicias & mores cœlesti pectore dignos?
 Excultos habuit non pia Sara magis.
 Addo quod est illi genus haud ignobile patrum,
 Nec pressa est humili conditione domus.
 Sed MEISIORVM percelebri de Stemmate creta:
 Hinc venit ad tædas gratia magna tuas.
 Vir gravis ipse pater claretq; Senator acutus,
 Percharus civibus, PRINCIPIBVSq; PIIS.
 Qui pietatis amans, veri studiosus, honesti
 Cultor, ab officijs mens sua nota pijs:
 Qui decus, atq; huius laus indelebilis vrbis:
 Altenburgi, cui nomen ab arce manet.
 Non minus vxorem nulla virtute carentem
 Nutrit, quæ est homini chara, quoq; illa DIO,
 Scilicet in neutro virtus dubitabilis vlla est:
 Ambo pijs studijs & probitate pares.
 Tu quoq; Sponsa tuum reverenter habeto maritum:
 Qui vero & firmo flagrat amore tui:

B 3

Quem

Quem tibi commendat pietas, probitasq; fidesq;
Integritasq; animi, Candor & ingenuus,
A pueris doctas coluit nam sedulus artes,
Cura vel his solis invigilare fuit.
Præsertim volvens divina volumina juris,
Iusticiam cunctis vndiq; retribuens.
Hinc tibi consurgit laus, nomen, gloria, fama,
Inde tuus Sponsus commoda multa capit.
Huic ergo ad nutum præsta obsequiumq; fidemq;
Et blando curas ipsius ore leva.
O benè felices si tales corpore jungit
Blanda Venus casti dulcis amica thori,
Quos pietas, sincera fides, quos inclyta virtus
Commendat veræ & religionis amor.
Vivere sic sola est felix, atq; aurea vita
Nec fortunæ vlla prosperitate caret.
Quod superest, equidem Vobis hunc grator honorem,
Ut benè fortunet fœdera vestra Deus.
Fœcundiq; ambo seros vivatis in annos,
Nec socium lædat lis odiosa thorum.
Talia conjunctis animis, conviva (quod æquum est)
Quisquis ades. Sponsis ritè precare novis.

M. Pancraius Silbernagel
Past. in Kasefas.

IX.

ANAGRAMMA

IOANNES ANDREAS NICOLAI,

EIA: AI: AN NON CLARES DONIS?

DAt sua dona Deus, cui vult, redditq; celebres
Quos vult; & quosdam locat in sede inferiori,

Infimus

*Infimus ut discat rectè inservire supremo,
Et suprà positus benè consulat inferiori.*

*Magna Deus tibi dona dedit: nec tute negabis,
Clarum pra multis te reddidit, aspice donum
Hoc modò, quòd Sponsa te jam dignatur honesta.*

*EIA, age dic vel AI verum: AN NON, optime tu vir
Sic CLARES DONIS, Socer ut dignum reputet te
Cui natam tradat? Sed non ais ipse: celebrant
Te tua per se dona: Deus, precor, augeat illa,
Et te cum chara beet omni tempore Sponsa.*

*SUSANNA MEISIA,
EISIS SVAMANNA,*

*S**usannam cum te dici voluere parentes,
Latitiam cordis tunc habuere piam.
Et te latitiam parituram illis quoq, certè
Speraverunt, quam se modò habere vident.
Gaudia sic Sponso prestabis plurima semper,
Latitia afficies mentem animumq, suum.
Et non esse modò semper Susanna studebis,
Verum ut EI quocq, SIS MANNA vocata SUA.*

*Observantiam suam declarandi gratia
à Matthæo Mollero Pastore in*

Dr. Eben.

Tempus

sic

Tempus nuptiarum.

Vobis post pla festa tori LVX tertla Sponsis
ConneCtlt ne XV VIVa X ConCorDla CorDa.

X.

Hendecasyllab. nuptial.

Felix ille sat' est, sat' & beatus,
Consors cui thalami datur pudica,
Et præstans pietate, moribusque:
Tranquillam retinebit ille vitam,
Et vitæ geminabit ille tempus,
Fortuna m̄q; minus sinistram habebit.
Nam puram sceleris, suæq; vitæ
Integram, D E V S ipse donat vni,
Vxorem, sua qui sacrata jura
Recto corde colit, facitq; fidus.
Est talis columen sui mariti
Vxor, tristis & ipsa grata vitæ
Oblectatio, dum sui reservat
Castè foedera coniugii sacrata.
Et talis juvenile tempus auget,
Et quosvis animi amovet dolores,
Dum rectè domui præesse novit.
Hanc ripâ reputat Tagi maritus
Divitis preciosiorem adesse,
Auri nec rutili metalla præfert.

Sic

257.

Sic cœli quoq; dat Monarcha Sponsæ
Sponsum, quem integritas, fidesq; adornant.
Hunc contra pia Sponsa pulcriorem
Aurorâ croceâ putat maritum,
Nam portat domui suæ benignè
Quævis commoda largiore cornu.
Ergo dum nova virgo Sponsa Sponso
Docto jungitur, vt decet, novellis
Sponsis foedera casta gratulemur,
Et tædis bona cuncta comprecemur.
Sit damni domus, & mali omnis expers
Illorum, sine lite lectus vnus
Illis gaudia mille reddat, atq;
Ambos in Pylij reseruet annos.
Quare nunc Hymenæe quæso firmis
Iungas nexibus hoc amore cœpto
Hos sponso, simul atq; amica firmo
Certes pectora colligare vinclo,
Te nunc qui tenet ardor ergo Sponse,
Æternum maneat tibi, tuæq;
Stet pectus sine fine amore Sponsæ,
Coniunx sit tibi salva secla centum;
Et ceu crescit oliva cum racemis:
Sic crescat soboles amica vobis
Quæ multum exhilaret parentis ædes
Ludendo, & geminet quater parentis
Chari nomina post per omne tempus.

C

His

Sic

His scriptis tenui stylo, modoq;
Grator versiculis, precorq; vobis
Ambobus bona tot, quot astra nocte
Cœli fixa dono videntur alti.

M. Thom: Vogk: Zell: Correct:
Schola Altenburg.



❁ XI. ❁

Res sacra Conjugium, res atq; perutilis orbi,
Divina Legis quod sacra scripta probant.
Res an non sacra est, monstrans mysteria nobis,
Queis desponsavit nos tibi, Christe, Pater?
Sicq; salutis opus depingit amabile nostra,
Quod servanda docet parte ab utraq; fides.
Ergo bonum, rectum, sanctum, charissime Sponse,
Doctrinâ prestans Vir, pietate gravis:
Quod jam submittis concessisse pectus amori,
Legitimi cupiens jura subire tori.
Quod cupis, ecce capis, nova gaudia, sponse, resul-
Gaudia sponsali concipienda die. (tant,
En optata venit verâ probitate fideq;
In thalamos intrans pulcra SYSSANNA tuos.
Aspice ut in cunctis amor excubat artibus, utq;
Ore verecundo tinnula verba fluant.

Hanc.

Hanc decorat pietas, decoratq; modestia forma,
 Hac sola est tali digna virago viro.
 Tu quoq; Sponsa, vide quo te jam munere donat,
 Conjugij ipse Deus fons & origo sacri.
 En, tibi Sponsus adest multâ virtute politus,
 Candor habet vultum, pectora candor habet.
 Vir certè meritis gravis, & vir clarus in omnis
 Doctrinæ est studio, nec pietate minor.
 Sufficiat: Pietas, Probitas, Concordia, Candor
 Vestrum circudent tempus in omne torum,
 Fœcundus sit amor vester, sit & ipse secundus,
 Poculo & infundat melq; merumq; DEVS.

Daniel Mylichius Schol. pat.
 quæ est Altenb. Cantor.

 XII. 

A Vrea virtutum sacra est Academia lectus,
 In qua discendi pulchra theatra patent.
 Hic etenim pietas, sortis patientia candor,
 Hic amor integritas, hic valet alma fides,
 Gratulor ergo tibi thalami pro fœdere, Sponse
 Prosperior juvenum vivere nemo potest.
 Gratulor atq; sibi socio pro fœdere, Sponsa,
 Summa pudicitix laus, pietas amor.

Crescite facundi facunda prole parentes,
Vivat ad æternos vestra propago dies.
Cernite concordēs certent ut amore columba,
Exemplum sancti nobile coniugij.
Non secus vnanimē traducite tempora vitæ,
Mutua sit vobis cura, sit vnus amor,
Pestiferas valeat miscens discordia rixas,
Relligio, pietas, pax regat alma domum.
Vivite felices vitam per secula cuncta
Nulla sit in vestro mœsta querela thoro.

*Iohannes Christophorus
à Kromsdorff N. T.*

XIII.

*Q*ua sit dulcedo sociales inter amores,
Nobis per pulchrè cantica sacra docent.
Hæc sponsam sponsa sic depinxere loquentem:
O mea sponsa veni, blanda columba veni;
Ac ostende mihi faciem, vultusq; nitentes
Auribus inq; meis vox tua leta fonet.
Nam suavis lingua sonitus, nam vox tua dulcis,
Et facies candens, atq; decora nimis.
Felix ille columbarum cui contigit una,
Tali diuina signa decoris habens.

Ote

O te felicem! sic, sic junguntur amores.
 Facta Susanna una est mente columba tua.
 Ergo columbatim posthac vivatis amantes;
 Et sua conjungat labra Susanna tuis.
 Gratulor, ut Deus hac socialia pacta secundet;
 Et thalamum multa prosperitate beet.

ἡδὸν ὀδίσσῃ χον γαμικόν.

RItè qVater qVater en VIX Febr VVs æthera LVstrat:
 Mox Iano AnDreæ Sponfa SVsanna iVbest.

Iohannes Cress Altenb. facieb.

✻ XIV. ✻

VT mens casta Deus sic casto gaudet amore,
 Hinc casti sanxit foedera juncta thori.
 Cælibe non gaudet vita: venerisq; calores
 Illicitos odit, mandat & esse procul.
 Absint insidiæ, fraudes, odiumq; merusq;
 Cum subeant unum pectora bina thorum.
 Hæc animo reputans hæc Fautor pectore volvens,
 Enthalamo virgo confocianda venit.
 O nimium foelix, ô terq; quaterq; beatus,
 Cujus in amplexu casta puella datur.
 Ista Deo sociæ grata est copulatio vitæ,
 Sanxit enim grati foedera grata thori.
 Quæ tibi connubio sociatur in orbe SVS ANNA,
 Plurima virginei signa pudoris habet.
 Ducitur ergo tibi merito pulcherrima Sponfa,
 Ducitur in thalamos Sponfa pudica tuos.

C 3

Non



Non etiam Sponso defunt encomia mentis
 Sponfa, quibus reliquis anteferendus erit.
 Ipsum etenim varias animo volitasse per artes,
 Doctrina ingenuè prodit & usque refert.
 Sed quid longa nimis multo traho tempora versu,
 Cum per se cunctis singula nota rear.
 Gratulor ergo tibi meritò clarissime Sponse,
 Altaq; læticiæ carbasa panda novæ.
 Tuq; tuam Sponsam complectere Sponse pudicam,
 Et Sponsum pariter tu quoq; Sponfa cole.
 Prædicat hunc probitas doctrina & candor apertus,
 Prædicat hunc virtus, dexteritasq; virum.
 Quod superest: mecum nunc fundite vota Tonanti,
 Autor & incæpti, fautor & esse velit.
 Ergò Deus, qui Conjugibus das jura duobus,
 Cui placet in casto copula casta thoro.
 Da quæso, ut geminis sit mens in amantibus una,
 Tempora da vitæ plena quietis agant.
 Sic etenim pulchrâ nascetur origine proles,
 Quæ timeat verum tempus in omne Deum.

Johannes Silbernagel SS. Th. Stud.

XV.

Ducitur fausto tibi Sponfa fato,
 Dotibus, formâ, pietate Nymphis
 Cæteris præstans: Genitore clara:
 Moribus uda:
 Dotibus præstans animi ac vigore
 Corporis, Iuris venerande Mysta,
 Quæ fide constans & amore Virgo
 Ducitur vxor.

Improbæ

Improbæ non te Veneris nefandi
Concitant æstus, sed amor pudicus,
Quem probat castâ Deus ipse mente,
Pectora tangit.

Hinc procul, dixti, procul hinc prophani,
Me doli vestri insidiæq; terrent:
Non, procul, vestros stimulos amores
Curo vagosq;:

Blandula est vobis facies, amica
Frons satis, sit blanda licet Cupido,
Mox tamen, tergum mala multa eandem
Triste, sequuntur.

Clamitant illud Sodomæ: Gomorrhæ
Clamitant illud cineres, & usta
Clamitant Troiæ benè structa flammis
Tecta nefandis.

Te incitat castus, moderator ipse
Quem Deus succendit amoris, ardor,
Ac monet casti thalami sacrata
Tangere jura.

O benè est factum! benè cœpta res est!
Ah tuis cedent benè cuncta votis:
In torum tecum veniet Iehova
Proximus autor.

Dirige: vestram moderante cymbam
Ipsemet dextra, liquidam Falernum
Vertet in dulcem, meliore donans
Munere, lympham.

Et dabit vestris potiora votis:
Namq; Cultori à Pietate merces
Redditur verè tribuente vitæ
Dona beatæ.

Vivite ô ergò benè juncta corda
Nestoris longam Pylijq; vitam:
Et nova cingat bona Iuno vestrum
Prole cubile.

Michael Schedelius F.
O DEI



❁ XVI. ❁

ODER verbum sobolesq; Iovæ
 Ordinavisti thalamum jugalem, &
 Illa monstraſti tibi vincla lecti
 Firma placere.

Iple cum vinclis thalami adfuisti,
 In Cana cum matre tua Maria
 Atq; mutaſti fluvij liquorem in
 Du'ce Lyæum.

Da novis Sponſis benedictio ſit
 Supplices cum voce manus ad aſtra
 Tendo, ſi quæ defuerint benigna his
 Suppete dextra.

Proſperè vt vivant Pyliam ſene ctam,
 Semper & grati Domino patri ſunt
 Vt ſalus dulcis ſobolesq; eorum
 Proſperet ædes.

David Schillingius Neostadiensis
 Variscus.

❁ XVII. ❁

DVM tibi, Sponſe ſoror mea jungitur, accipe grato
 Pectore, *SUSANNAM*, conveniente toro.

Coniugium felix ſit vobis, ſitq; beatum
 Adſit verus amor, ſit ſine lite torus.


Jacobus Meſius junior
 Sponſæ fr. ger.

F I N I S.

Par. Z d 580. QK

100

E P I
 Solennibus nu
 Amplis.
 Dn. IOHAN
 NI
 SENATVS
 tenburgen
 Lec
 S U S
 Dn. JACOBI M
 Duc, Saxon. Alten
 tionum præ
 ris fi
*Altenburgi celebra
 moris & honoris e
 script.*
 ANNO
 1918
 IMPRESSA AL
 Anno



Z d
580.

